7.

D. O. M.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS manè diſcutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ Martii anni M. DCC. XXXV.

M. NICOLAO LE TELLIER, Doctore Medico, Præſide.



An ex abuſu rerum non naturalium Vertigo?

I.



VERTIGO à vertendo affectus, cùm omnia videntur circumrotari. Eſt imaginatio depravata falſæ circumgyrationis objectorum & ſui ipſius, interdum cùm viſus obſcuratione, caſu, palpitatione cordis, aliiſque ſymptomatibus proveniens, præſertim ex abuſu rerum non-naturalium, à ſpiritibus animalibus tumultuatim & inordinatè commotis. A Williſio definitur affectio « in quâ objecta viſibilia circumrotari videntur, ſentiuntque affecti perturbationem ſeu confuſionem, ſpirituum animalium in « cerebro, ut nervos non ritè influant; quare facultates viſivæ, & loco mo- « tivæ ſæpé aliquatenùs vacillant, ut laborantes corruant, nec raró à tenebris « offuſcentur. » Illa externorum naturaliter quieſcentium menti evidens rotatio ſpiritibus animalibus circulariter vorticis inſtar agitatis & in nervum opticum diffluentibus debetur. Inordinatus fit ſpirituum animalium motus in oculo, auribus, aliiſque ſenſuum organis agitatorum; ſpirituum circumgyrata motio & in retinam illiſio, objectorum externorum circumgyrationem apparere facit, dum talem motum excitat qualem objecta externa, re verâ in gyrum mota. Undè deducendi ſunt varii colores, ſplendores præoculis verſantes, ipſa caliginis apparentia, ſenſilis oculorum illuſio, aliquandò pulcherrimos iridis colores vident ſtupefacti; quos quidem non modò vertigine correpti, ſed & in hanc proximè lapſuri juxta modum quo afficiuntur vividiùs cernunt. Hinc ubi primùm ſumma peſte affecti homines fiunt vertiginoſi, miros quaſi per priſma colores in quibuſcunque parietibus vident, authore Boyleo. Mutatâ viſûs axi in binis retinæ focis, res eadem geminata depingitur. Pari ratione appulſus inordinatus ſpirituum ad tunicam Cochleæ ſonitum excitat in auribus ſimilem illi qui à contactu aëris interni naturaliter oritur. Tinnitus aurium intra Tympanum & Tubam Euſtachianam fit acutiſſimus modò fiſtularum cantus mirificos, modò rivi leniter fluentis ſuſurrum, modò minaces ſerpentum ſibilos, horrendos fremitus, ſtridores, bombos, irrequietoſve colluctantium undarum vortices audire reipſâ ſibi fingunt. Ulteriùs ſi inordinatus hic ſpirituum motus ad muſculos continuetur, nunc ex eorum anomali influxu convulſiones ſuperveniunt, illicò fit lapſus præceps, nauſea & vomitus. Totum ſpirituum animalium ſyſtema impetuoſiùs in cerebro concitari in graviori vertigine videtur. Fit Lipothymia ſine dolore imò cum ſenſu quodam grato ſuum in muſculos imperium ſentiunt aliquandò deficere; tibiæ ſolvuntur, humi repunt, ſuimet propinquorumque obliti, functiones mentis delentur, rerum quas primò audierint vix recordantur, & jam uno inſtanti ſi ſyncope ſit lethalis, cor Pa-

ralyticum fit & Apoplecticum. Apoplexiâ hâc ineunte plerumque vomitus, ſpuma ſurſum ejicitur; hîc eſt crebrior vertiginis in Apoplexiam tranſitus, ſæpiùs tamen palpebras ad vehementiores quoſdam ſonos attollunt ſtatimque demittunt. Senſum hebetem, offuſcatum & quaſi ſepultum cernere eſt, mens excitatur ſtimulis, motus adhuc ſupereſt, ſenſilis fermè ſimul & evaneſcens.

I I.

VERTIGO vel eſt morboſa, vel critica; de poſteriori hîc non agitur, hanc tamen pro illa non habeat Practicus, ne errantes in praxi naturam evacuationem criticam molientem interturbemus. Morboſæ vertiginis duplex emergit differentia, idiopathica & ſympathica, priuſquam ab utroque iſto fonte uberrimas vertiginis cauſas depromam; externas ex abuſu rerum non-naturalium enarrare libet. Corporum externorum gyratio; præcipuè ſi ſit celerrima, & ab oculo intentiſſime defixo diutiùs obſervata. Nullum oculi ſolidis & liquidis ineſt vitium, opertus & apertus mox oculus à vertigine liber eſt; quid aliud ergo contingit? niſi quod retina ab iis ſucceſſivis circulis, in ipſam quælibet rei viſæ puncta immittentibus celerrimè percuſſa tremiſcat, objectumque modò ad dextram modò ad ſiniſtram rotatum, in nervo viſorio depictam ſui mutans imaginem viſus organum perturbet, ut patet ex opticis. Hinc contorti aquarum vortices, rotæ celerrima circumvolutio, verſatilis turbinis impulſio, denſa nix rotatilis è cælo commotiori, aurâ flante, per flocculos divergentes cadens, ſimiliaque ab authoribus obſervata, ſunt totidem cauſæ vertiginis. Ipſe validiſſimus tubarum clangor, ſubitus terræ tremor vehemenſque concuſſus, inexpectatus bellici tormenti excuſſus, horriſona tonitrua, &c. mentem ſæpè uſque ad vertiginem movent. Scaphæ jactatio reciproca, tumidis fluctibus in ſublime attolli, ad inferos ſubito impetu deprimi, motus in rhedâ retrò præſertim in obliquis & aſperis itineribus, impetuoſi fluminis proſpectus ex loco altiſſimo in profundum, auſtrinæ tempeſtates, ſimileſque cauſæ ab Hippocrate Foreſto, &c. recenſitæ oculos agunt in vertiginem vomitu, facilè curabilem. Præter iſtas vertiginis cauſas externas, Flexuoſa geſtatio per tortuoſos labyrintheos anfractus, vel per aſſiduos gyrei itineris flexus; hinc quibus eſt Epileptica diatheſis, per leves, rectas ac ſuperiores vias ſemper iſti deambulent, monente Aretæo, ne ſcilicet variæ imagines ſucceſſivé tranſeuntes retinam vertiginosè afficiant. A rotatione corporis, idem à fortiori fieri patet; non ne equidem ſaltatione in gyrum cadunt veluti temulenti? non ne equus oculis non velatis in circulum molendinam agens, poſt duas circiter horas vertiginoſus procumbit?

I I I.

PERGIMUS ad cauſas vertiginis idiopathicas: inter quas Spirituum inertia primas obtinet. Quemadmodum ab exercitationè citatiori ſpiritibus ſanguis depauperatur & incaleſcit, quò fervidior eſt juventa, febre inſurgente eo peſtis periculoſior; ita maximè proni ſunt in vertiginem quibus annuente Aretæo Spiritus adeò ſunt imbecilles, ut nutanti impetui ſuſtinendo prorſùs impares cum circulo vertantur. » Hinc authore noſtro Dureto, turbulento motu » ac veluti circum actu ſpiritûs animalis, flatulento ſpiritu atque maligno, » non ſecùs atque bombus & Echo in auribus, hallucinatio in oculis & caligatio. » Jam verò ſpiritus infirmior eſt, 1°. Hypochondriacis, ſivè ſint reſpectu materiæ lentæ, viſcoſæ, in vaſis à pravo victu & craſſiori procreatæ, & in illis ſtagnantis, quæ dein putrefactione & fermentatione volatilis facta in

nervos pessimè agit, sive respectu partium fumantium, id, est liquidi nervei mirè mobilis, humorumque tenuium tunc facillimè exhalantium. 2°. Hystericæ ferè omnes, teste sydenhamo, de Spirituum dejectione conqueruntur, habentque cum affectu hypochondriaco signum pathognomicum prorsus idem, affectio hysterica ita vehementem cordis palpitationem excitat, ut sonitus cordis in costas arietantis audiatur, tum fit caligo eò magis tenebrosa, quò majori impetu cor concutitur. 3°. Atrabiliarii spiritûs infirmitate laborant: in hisce liquidissimâ & mitissimâ sanguinis parte exhalatâ pars terrestrior subsistit, congeritur, mixtaque cum sulphureis & oleosis partibus, materiem picis instar adhærentem efformat, quæ forsan ad pancreas, omentum, hepar, splen, mesenteriumvè deposita, dein per corpus agitata vertiginem provocat. 4°. Eadem debilitas à nimis cultâ venere quæ frequens corpus solvit, ex Celso, ergo parciùs lenociniis ejus titillantibus indulgendum.

IV.

SUNT multæ aliæ causæ hujus morbi sympathicæ; partes quarum consensu fit vertigo, sunt imprimis ventriculus cujus varia peccata præcipue vitiosus acor volatilis orificium superius, affligens vertiginem infert, verbi gratiâ, ebrietas & fumus Tabaci; inedia etiam nunquam diuturnior est, quin bilis sursum mota vertiginem procreet, vel fame pressi vermes ab illorum morsu in nervos cardiacos pessima mala, insultusque generent Epilepticos, his ergo post jejunia diuturniora furentibus, non tantum evacuanda bilis, sed adhibenda Anthelmintica. Ira furens quatenùs in ductus biliarios duodeno connexos potissimum agens accendit bilem inæstuantem, ejusque ascensum cogit. Qui imbecilli sunt corpore ut senes & flatibus abundant, facilè fiunt vertiginosi. Undè iræ ortum immeritò refundebant in bilem Homerus] & Hippocrates. Bilis alvina ventriculum ingressa non sinè jure exusta à Dureto accusatur. » Instar auræ nigræ & humidæ, inquit, fuliginem » mittit spiritum visorium inficientem. » A Pure hepatis in ventriculum elapso quot & quantæ cum vomitibus fœdis, vel per alvum crebris secessibus sæviunt vertigines, quæ quidem, donec à rupta vomica totum pus eruperit, quidquid egeris obstinatè perseverant, tum si Medicus hæc symptomata à læso capite oriri parum gnarus censuerit, cucurbitas, venæ sectiones, aliaque jubebit debilitantia, dum vomica solum modò expurganda erat; ab Ingluvie, si nimia vel optimorum ciborum copia ingeritur, si quis vino largiori sese ingurgitat febre crapulari & dein vertigine angitur. Supra naturalem nixum extenditur ventriculus, nervi fiunt quasi paralytici, vasa omnia, exceptis ramis utrique orificio adjacentibus compressa & obruta suffocantur. Hinc ad orificia ruente omni sanguinis & spirituum vi ambo ingenti spasmo clauduntur. E materiâ calefactâ, turgescente, rarefactâ putrescente, quædam sursùm feruntur nebulæ in vertiginem brevi coëuntes. Quamvis vertigo ut plurimum fiat ex vitio stomachi, præterea tamen ex liene, renibus aliisque partibus nervis insignioribus ditatis per consensum itidem oriri potest. Venena quædam illam excitant & fovent, sivè ventriculi nervos cerebri nervis continuos mordeant & irritent, sivè per venas lacteas, sanguini permixta, illum in oculorum arteriis rarefaciant. Quot & quantas vertigines Epilepsias, &c. ab ingesta cicutâ aquaticâ sævisse narrat Wepferus. Frusta vitri, aciculæ, lapilli, &c. imprudenter deglutiti, & sese ad hiatum Pilori figentes miris symptomatibus stipantur, quod sæpissimè in apertis cadaveribus, Helmontio, Ruischio aliisque patuit; lac coagulatum in infantibus est

etiam causa illius affectus frequentissima. Quando nempè liquidiori parte transfluxâ lac in colostrum mole majus abit, quam ut per pylorum transeat, tunc acescit, novo lacte ingesto mox serum demittitur, parsque crassior altera priori sese affligit acido, donec tandem crusta lactea exquisitè oppleatur ventriculus. Infantes isti, si coagulum non dissolvitur, febre continua laborantes perterriti, omnem lucis ortum refugientes Epileptici & Apoplectici aliquando miserandum in modum expirant. Omnes evacuationes solitæ, nullâ supplente aliâ, à quacunque causa retentæ; Si lochialis fluxus retentus ad caput ruit sæpe vertigo præsto est, & aliquando Paralysis & Apoplexia; si sanguis cohibetur qui è naribus fluere consueverat, si solitus mictus, periodicave sanguinis sputio sistitur, si corpus non difflatur aut sudore, aut labore antea fatigatum, tinnient aures, caput dolebit, oculorum acies hebescet, distendentur venæ. Idem à solito hæmorrhoidum profluvio coercito. Insolatio & omnes corporis exercitationes immodicæ quæ humores fundunt, agitant, in vapores subtilissimos dissolvunt, vertiginem excitant.

V.

UT ex recto rerum non-naturalium usu stare sanitatem, sic ex earum abusu, omnes ferè morbos originem ducere in confesso est. Vel minimos errores in diæta brevi vertiginosus luet, vel in vertiginem ex gravissimis brevi incidet cui vertiginosa diathesis inest. Quamdiù spiritus animales tranquillè & imperturbatè se habent, functionum suarum actus ordinatos obeunt, sed dùm irregulariter sunt commoti præcordia exagitant, indebitoque modo influunt, sanguinem à debito excursu cohibent, qui proindè cum gravamine in cerebro aggestus vertiginem infert; in omni enim sensatione spiritus animales commoventur, eorumque motus in extimo sensorio ab objecti appulsu excitatur ut patet exemplis supra allatis. Spiritus animales contaminantur ab aëre impuro, nebuloso, rerum grave olentium exhalatione, inquinantur ab alimentis noxiis & corruptis tempore nimirùm arctioris annonæ, obsidionum, navigationum longinquarum, &c. tum ab animo variis ac sæpè contrariis affectibus simul & potenter agitato, undè ex humoribus variis malè affectis excitantur necessariò halitus diversi, qui sanguinis circuitu transferuntur ad cor, ipsum cerebrum & spiritus animales infecturi. Spiritus animales extra statas series, & ordines suos perturbati, tum intra cerebri meatus huc illuc fluctuatim & inordinatè moventur, irradiatio in partes motrices inhibetur : » Interìm qui in cerebro resident huc illuc » lati diversa phantasmata ex molestia à præcordiis impressa concipiunt. Enim verò, » inquit Willisius hæc duo ferèsemper reciproca, se mutuò excipiunt, & ab invicem » dependent, nempé spirituum intra cerebri meditullium perturbatio, eorumque ef- » fluxus in nervosum genus impeditus; quacunque de causa alterutet affectus in- » fertur mox alter subsequitur. » Corporis circumgyratio, vectio in curru, aut navi, nec non ebrietas, & inassuetus Nicotianæ fumus, halitus carbonum ardentium, &c. Spiritus in cerebro confusi ex abusu rerum non-naturalium scotomiam aut objectorum circumrotationem inducunt.

Ergò ex abusu rerum non naturalium Vertigo.

Proponebat Parisiis, LUCAS AUGUSTINUS FOLLIOT DE SAINT VAST, San-Laudæus-Constantiensis, Baccal. Medicus, A. R. S. H. 1735. à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1735.